


05

A

586





2
2

Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
RESTITUTIONE
GENERIS HUMANI,

QVAM
In Celeberrimâ Electorali Academiâ

Wittebergenſi
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Magnifici, maximè Reverendi, Ampliffimi atq;
Excellentiffimi

DN. JOHANNIS Deutſchmann/
S.S. Theologiæ Doctoris de Eccleſia Chriſti meritiffimi,
Ejuſdem Facultatis Profeſſoris Publici celeberrimi, atq; Alumnorum
Electoralium

Ephori graviffimi.

PATRONI atq; HOSPITIS cum obſervantia

Suspiciendi,

E cathedrâ Lutheri

publicè ventilandam exhibet

M. JOH. DANIEL ARTOPOEUS TRARBACO MO-
SELLANUS EX SPONHEIMIA.

D. IX. FEBRUAR. A. Æ. C. c^o l^o c LXXV.

WITTEBERGÆ

TYPIS JOHANN. BORCHARDI ACAD. TYPOGR.

ORBIS
ERUDITI STATORIBUS

atq;
COELI LITERARII SIDERIBUS
fulgidissimis,
VIRIS

Generositate Per Illustri
Excellentiâ summè Reverendâ
Amplitudine Nobilissimâ

C O N S P I C U I S

05 A 526
DN. **BEZPRECHZ VON GEMMINGEN**
GEN, Consiliario Palatino-Sponheimico atq; Badensi
Amplissimo, Consistorii Ducalis Præsidi Eminentissimo, Supre-
mæ Præfecturæ Trarbacensis Moderatori Supremo. &c.

DN. **PHILIPPO JACOBO SPENERO**
SS. Theologiæ Doctore famigeratissimo, Ministerii
Orthodoxi apud Franckfurtenses ad Moenum Seniori Gravissimo, ut &
Gymnastii Scholarchæ Spectatissimo.

DN. **CASPARI ZILLESIO**
Juris utriusq; Licentiato celeberrimo, Consiliario Palati-
no Sponheimico Gravissimo, ut & Consistorii Ducalis Adessori Specta-
tissimo.

DNN. **PATRONIS atq; PROMOTORIBUS**
Summo observantiæ cultu suscipiendis,
DISSERTATIONEM HANC, DEVOTÆ MENTIS

INDICEM

Sacram esse cupit
Devotissimus Cliens

M. **JOHANN-DANIEL ARTOPOEUS**

PATRONI HONORATISSIMI

Ita tandem ad pulvinar mihi VESTRUM accedere liceat, & pro Illustri, quâ me beâstis immeritum, Gratiâ, istum hunc debitæ gratitudinis & observantiæ deponere arrhabonem: Illum vilioris quidem monetæ, & tantis vix parem ausibus, ab affectu tamen profectum non vili, sed devoto, sed admiratore & cultore vestrarum virtutum; Si qui enim unquam ab ultimâ vetustate digni extitere omnium cultu ac veneratione, VOS fanè, PATRONI! consentiente famâ principem in hoc ordine locum facile obtinetis. Tuæ, GENEROSE PRÆSES! Virtutes non solum invidiam vicerunt, sed & mortale supergressæ sunt fastigium: atq; adeò SPONHEIMIA non aliter TE observat, admiratur ac suspicit, quàm Salutare quoddam Sidus è coelo in se demissum, ut rebus afflictis mederi posses. Quod quidem præclarissimum munus TIBI à NUMINE & PRINCIPIBUS delegatum constanter administras tam æqvabili justitiâ ac prudentiâ, ut propemodum minima de laudibus tuis censenda sit illud supremum post Serenissimos Patriæ PRINCIPES moderamen, ad quod TE DEUS, Tuæ virtutes, & ex his orta PRINCIPUM benevolentia evexit. Ego inter admiratores & cultores Tuos gradu & censu plurimis impar, animo & affectu vix cuiquam secundus, nullum majus ac melius donarium exhibere possum, quàm simplex votum, quo uno vota universa bonorum omnium, Salus Patriæ, Spes & opes subditorum cumulatè continentur, scilicet, ut TE supremus rerum Arbiter quàm diutissimè mortalium coetibus interesse patiatur. Maneat dubia & anceps palma pulcherrimæ conspirationis, utrum impensiori pietate cum SERENIS-

6

simis Patriæ Principibus TE cives, an Tu cives salvos & incolumes esse malis.

VOS autem, Summè REVERENDE SPENFRE atq; NOBILISSIME ZILLES! jure itidem literarium cœlum stupet & veneratur. Virtutes in VOBIS omnes conspirant amicè. Nemini bono per bonas artes ad illustrem vestram gratiam aspiranti eandem interclusam esse patitur insignis & omnium ore celebrata Humanitas quæ in VOBIS est. Rara sanè virtus in tali fortuna, tamq; illustri dignitatis fastigio: Sed quo rarior, eò præcipuà admiratione dignior, Expertus loquor, & testes producere possum humanissimas ad me clientum vestrorum minimum datas literas. Noscet olim fortè posteritas ex alio monumento cultum & observantiam erga VOS meam. Nunc (quod in me est) virtutes vestras voce meâ & stilo augustiores religione ac silentio venerabor. Ut vero, PATRONI summi, de meâ etiam erga VOS observantiâ constet, præsentem à me accipite arhabonem, quem impatiens gratitudinis & observantiæ contestandæ desiderium expressit. Virtutum Vestrarum consideratio in eò majorem me erigit confidentiam, fore, ut, siquidem ab istis ab esse nequit par cæteris Humanitas, & isthoc chartaceum meum munusculū singulari, gratiæ affectu à Vobis suscipiatur. Quod si consequar, erit ut de tanta mihi benignitate gratuler, confirmatus, quod & in posterum, quæ votorum meorum summa est, sub gratiosissima Benevolentia vestræ indulgentiâ vivere possim. Valete. PP. Wittebergæ. V. Eid. Febr. clcclcc LXXV.



DISPUTATIO
DE RESTITUTIONE GENERIS
HUMANI.
THESIS I.

1. **D**eus post *lapsum protoplastorum* humano generi veniam indulgere voluit.

2. Transgressio quidem legis *mortem corporalem, spiritualem, & aeternam*, secum trahere debebat, ex divini senatus consulto, vel decreto, *Gen. II. 17.* publicato, sed quia Deus omnis gratiae misertus est hominis, ideo peccatorum veniam est consecutus. Hinc Deus *judex* alium cum *Diabolo*, alium cum *hominem*, post lapsum procesum instituit; *ille* condemnationem actualem incurrit, *huic* remedia condemnationis divinitus oblata fuerunt.

Antithesis.

1. Errant hic *Sociniani* apud *Smalz. contr Franz. p. 155.* Error est, scribit, *Deum post lapsum humano generi veniam indulgisse. Nam humanum genus nulla tunc agebat venia, utpote quod nihil tunc peccaverat; Adamo autem, qui peccaverat, veniam fuisse indulgentiam post lapsum, scil. statim, fabula est. Si veniam indulgit Deus Adamo, id tempore succedente ob penitentiam Adami gratia divina factum esse, censendum est.*

2. Verum *dist. inter indulgentiam formalem & materialem, actualem & fundamentalem*: licet non toti humano generi, l. omnibus & singulis hominibus, tunc *formaliter & actualiter* indulgentiam concesserit, tamen *materialiter & fundamentaliter* veniam toti humano generi concessit. *Dist. inter peccatum proprium, per actualem commissionem & inter peccatum communicatum,*

A

per

DE RESTITUTIONE

per naturalem participationem; licet totum humanum genus tunc actualiter, & propriis non peccaverit, tamen radicaliter, originaliter & participative, peccasse deprehenditur.

THESIS II.

1. Idem Deus imaginem divinam, ab Adamo deperditam, & in hominis natura sic amisam, restituere voluit, unde vere Status restitutionis datur, & sic necessario concedendus venit.
2. Notandum hic, quod Status restitutionis, vel sumatur inchoative, vel consummative, priori modo pertinet ad hoc seculum, sed posteriori modo refertur ad futurum seculum. Item accipitur hic Status restitutionis vel $\gamma\epsilon\gamma\iota\omega\varsigma$, quatenus & statum restorationis, specialiter ita dictum, & statum glorificationis completitur; vel $\mu\epsilon\pi\iota\omega\varsigma$, quatenus statum glorificationis contradistinguitur. Sic etiam Restitutio vel sumitur relative, ratione DEI, sic homo per justificationem gratie DEI restituitur, vel absolute, ratione sui, sic per sanctificationem imago DEI spiritualiter in homine restauratur.

Antithesis.

Antithesis est Socinianorum apud Smalzum contr. Franz. d. 7. p. 52. & p. 54. qui prorsus negat, quod vel restitutioni, vel instaurationi imaginis divinæ locus aliquis sit concedendus.

2. Verum dist. inter imaginem sensu sociniano, quo notat aliquod dominium externum, quod adhuc post lapsum residuum, & inter imaginem divinam sensu biblico, quo significat plenum virtutum internarum & autoritatis externæ fastigium, quod omnino dicitur amissum, adeoq; non nisi per restorationem obtinetur; hinc Sociniani falsa tantum hypothesi nituntur, quod scilicet imago DEI non sit amissa, quæ tamen hypothesi alibi, tanquam falsa, demonstratur.

THESIS III.

1. Restitutio humani generis nullo modo vel per naturam, vel per rationem humanam, aut etiam hominis industriam, institui-

GENERIS HUMANI

instituitur, vel institui potest, sed DEi solius beneficium esse dicitur.

2. Cum enim homo prorsus in peccatis sit mortuus *Epb. II.* nihil prorsus ad sui restitutionem conferre potest. Hoc equidem verum est, quod homo sit subiectum conversionis, vel nostrae restitutionis, sed nullo modo dici potest, quod sit, vel esse possit principium restitutionis. Nam homo se passivè tantum habet circa gratiosam restitutionem, active se habere nequit. Restitutio dicitur esse gratia, non natura, non humane rationis, vel operationis, sed divinae donationis, & collationis. Et industria quidem hominum in externis multum valet, ut ardua quævis tentare primum, postea præstare soleat, sed in objectis internis & æternis nihil quicquam vel tentare, vel præstare potest, cum illa sphaeram humane rationis, inventionis & operationis longissime transcendant.

Antithesis.

1. Antithesis est tum veterum Pelagianorum, tum Semipelagianorum, tum Scholasticorum, tum Papistarum, qui partim ex toto, partim ex dimidio, partim ex minutulo quodam, hominibus sui restitutionem adscripserunt. Augustinus Epist. 9. ad Innocentium I. Pont. Rom. scribit: *Id agunt isti (nim Pelagius & Celestius) damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, NULLUM relinquant LOCUM GRATIÆ DEi, qua Christiani sumus. Item: Hominibus animalibus non percipientibus, quæ sunt spiritus DEi, persuadere non cessant, ad operandam, perficiendamq; justitiam, & mandata DEi complenda, solam libi humanam posse sufficere naturam. Et Epist. 95. ad Eundem: De Conciliis duobus Provincia Carthaginiensis & Numidie ad tuam Sanctitatem à non parvo Episcoporum numero subscriptas literas misimus contra inimicos gratiæ Christi, qui confidunt IN VIRTUTE SUA, & Creatori nostro quodammodo dicunt: Tu nos fecisti homines, JUSTOS autem NOS NOS FECIMUS: qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quarant liberatorem,*

DE RESTITUTIONE

aorem, ideo salvam, ut SUPERFLUUM judicent SALVATOREM:
 tantum enim dicunt valentem, ut suis viribus, in origine sua creati-
 onis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante
 illius gratia, qui creavit, donare, & extinguere omnes cupiditates,
 tentationesq; superare. *Cassianus cum aliis Semipelagianis partem*
restitutionis nostrae Gratia, partem nostris viribus tribuebant, hinc illis
dicteriis utebantur: Labori humano subjungitur gratia: Conatus
nostri irriti sunt, nisi Gratia Dei adjuventur, & promoveantur. Ip-
se Cassianus scribit Collat. 13. c. 12. Praevenit hominis voluntatem,
quia dicitur: Deus meus, misericordia ejus praevient me. Et rur-
sus Dominum remoramem, atq; utiliter subsistentem, ut nostrum
experiatum arbitrium, voluntas praevient nostra cum dicitur: Mane
oratio mea praevient te: & iterum; Praeveni in maturitate, & cla-
mavi, & praevenerunt oculi ad te diluculo. Advocat etiam nos, & in-
vitat, cum dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non cre-
dentem mihi, & contradicentem: & invitatur a nobis, cum dicimus
ei: Tota die expandi manus meas ad te. Expectat nos, cum dicitur
per Prophetam: Propterea expectat nos Dominus, ut misereatur
nostri: & expectatur a nobis, cum dicimus: Expectavi expectavi Do-
minum, & respexit me. &c: Hilarius, vel quicumq; dicitur autor
Epist. ad August. Hec sunt, inquit quae Massilia, vel aliis etiam in locis
in Gallia ventilantur, novum & inutile esse praedicationi, quod quidam
secundum propositum eligendi dicantur, ut nec id arripere valeant,
nec tenere, nisi credendi voluntate donata, quod excludi putant o-
mnem praedicandi vigorem, si nihil, quod per eum excitatur, in homini-
bis remansisse dicatur. Consentunt, omnem hominem in Adam pe-
rgisse, nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari; sed id con-
veniens asserunt veritati, vel congruum praedicationi, ut cum prostra-
tis, & nunquam suis viribus surrecturis annuncietur obtinenda sa-
lutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint, a suo morbo se
eposse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suae conse-
quantur Effectum. Caterum ad nullum opus vel incipiendum, ne-
dum perficiendum quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neq;
nim alicui operi curae onis eorum annumerandum putant, exterrita
sup.

GENERIS HUMANI

Supplicijs voluntate unumquemq; aegrotum velle sanare: Quod enim dicitur: Crede, & salvus eris: unum horum exigere asserunt, alterum offerri, ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur: unde non inconsequens putant, exigendam ab eo fidem, cuius natura id voluntate Conditoris concessum est, & nullam ita depravatam, l. extinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari, propter quod, ut sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua aegritudine puniatur. Nec negari gratiam, se precedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat. &c.

2. Verum dist. inter *presentiam materialem, & causalem: natura, voluntas, libertas* hominis omnino materialiter adesse dicuntur, imò *juxta presentiam materialem* necessario requiruntur, sed neutiq; in restitutione nostra causaliter se habere dicuntur. Dist. inter *concursum subiectivum, & effectivum, passivum, & activum*: homo concurrat ad sui restitutionem instar *subiecti*, quæ ratione se tantum *passive* dicitur habere, non autem vel *active*, vel *effectively* concurrere potest. Dist. inter *homines regenitos, & irregenitos*; scriptura plerunq; loquitur de *regenitis*, quod perperam ad homines sibi relictos & *irregenitos*, de quibus hic est sermo, contra Spiritus S. mentem accommodatur.

THESIS. IV.

1. *Restitutio generis humani non est absoluta, sed certis quibusdam medijs inclusa, vel ad certum ordinem, divinitus ab æterno constitutum, relata.*

2. Sicut enim Deus aliàs nobiscum agit non *immediate*, sed *mediate*, per certa *media*, sapientissimæ voluntati suæ convenientia, sic idem etiam in hoc beneficio restitutionis observat: *media* proinde, tum sapientia suæ convenientia, tum respectu rei sufficientia, nostræ *restitutioni* destinare voluit: Et cum in omnibus sit ordinis autor, amator & conservator, ideo gratiosissimum hoc opus nostræ *restitutionis*, *citra peculiarem mediorum ordinationem, nec ab æterno decernere, nec in tempore per ver-*

DE RESTITUTIONE

bum patefactum proponere constituit, sicut universa scriptura, & in eadem totius Christianæ fidei harmonia, luculenter restatur.

Antithesis.

1. Hæc *Antithesis* est *Reformatorum*, qui fingunt nostram *restitutionem absolutam* esse, quæ pendeat ex *absoluto Decreto*. Vid. *Synod. Dordr. p. 340. 361. 491. &c.* : & sic *Keckerm. Syst. Theol. p. 295.* θεγαπευσινης *spiritualis principium primum Electionem absolutam* constituit.

2. Verum *dist. inter restitutionem veram- & fictam, εγγραφον, & in Sacris literis revelatam, & αγραφον, vel per humanam rationem excogitatam; absoluta restitutio* figmentum est *humane rationis*, non autem *mysterium divina revelationis*. *Dist. inter negotium salutis, & inter objectum aliud; licet in alijs quibusdam objectis tale quoddam absolutum decretum notari posset, tamen in salutis negotio minime concedi debet.*

THESIS V.

1. *Status Restitutionis gratiosa*, quam hominibus contigisse, verbum DEI monstrat, ratione sui, vel etiam ratione DEI, totum genus humanum respicit.

2. Nam hæc *restitutio* respicit *protoplastorum apostasiam & defectionem*; tam late proinde patet, quam late patet *apostasias, vel destitutio*, cum inter *destitutionem & restitutionem* perpetua sit relatio. Nec *Adam & Eva jus restitutionis* tantum quoad *suas personas*, sed etiam quoad *omnes posteros, universos & singulos*, consecuti sunt, licet *eventus ex parte subjectorum, aliud afferre*prehendatur : *jus restitutionis* integrum est, & universale, licet *de facto* non omnes propter cordis sui malitiam restituantur: *vita naturalis, & jus ad vitam naturalem*, ad omnes dicitur homines, & *Adami posteros*, pertinere, sed experientia docet, quod plurimi *vitam ipsam hunc in mundum non afferant*, sed ante lucis conspectum, & naturalem ex utero progressum, *vite jacturam* faciant, multi statim post primum ex utero vitalem exitum suum inveniunt obitum, plures in primis à *nativitate diebus*, longè plures in primis

GENERIS HUMANI

primis post nativitatem annis *vite* damnum sentiant. Sic autem *restitutionis* beneficium est universale, totumq; genus humanum includit, ut, cum hoc in Electos & reprobos distingatur, gratia *restitutionis* non saltem ad *Electos* restringatur, sed potius ad omnes etiam *reprobos* in universum extendatur.

Antithesis.

1. *Antithesis* hæc iterum *Reformatorum* est, qui simul *ius & actum restitutionis*, ad solos *Electos* restringunt, quod videlicet ex massa communi lapsi generis humani Deus certos quosdam homines ad *restitutionem* elegerit, reliquos autem hoc beneficio suæ *restitutionis* prorsus præterierit. Vid. iudicia tam *Exterorum*, quam *Provincialium* in *Synod. Dordrac.* circa *primum Artic.* ubi sæpius hoc asseritur.

2. Verum *dist.* inter *restitutionis intentam*, & *eventum*: Deus restituere quidem omnes *intendit*, sed *eventus* propter malitiam hominum plerorumq; *restitutionem* non *amissam*, sed *contumaciter repulsam* esse, luculenter ostendit. *Dist.* inter *gratiosa restitutionis actum & fructum*: *actus* quidem *gratiosa restitutionis* est *universalis*, quoad *salutis causas*, sed *ratione fructus*, non est *universalis*, quia *subjecta fructum incredulitate sua nequiter impediant*.

THESIS. VI.

1. *Restitutio* hominum non per *legem nature*, vel etiam *fædus*, aut *conatam nature* fieri potuit, cum à *natura post lapsum plenarium nihil integritatis*, nihil *plenariæ correctionis*, nihil *debitæ perfectionis* expectari debuerit.

2. *Lex nature* vocatur, quæ *primum per Deum est congenerata*, per naturam in statu integritatis fuisset *propagata*, quoad *perfectionem genuinam una cum imagine divina per lapsum proto plastorum fuit deperdita*, nunc verò post lapsum, quoad *certas tantum obscuras reliquias*, dicitur *connata*, vel etiam *ipsis hominum mentibus inscripta Rom. II. 15. Fædus etiam nature nonnullis dicitur*, vel quod Deus *generaliter cum omnibus viventibus pe-*

DE RESTITUTIONE

bus pepigit *Gen: IX. 9. seqq.* vel *specialiter* cum hominibus per naturam creationem, aut etiam legis naturalem promulgationem imit: sed his & aliis respectibus naturalibus neutiqvam *restitutio* nostra fieri potuit.

Antithesis.

1. Errant igitur illi *Scholasticorum*, qui statuerunt, homines ante *Mosen* per *legem naturæ* salvatos, ac per eandem saluti restitutos esse, sicut *medii* sub *Mose*, per *legem Moysi*, & in *N. T.* per *legem Christi* homines salvati sint, & adhuc salventur. Huc etiam pertinet *Pelagianorum* error, qui *gratiam restitutionis* per *legem* tantum exposuerunt, sicut ostendit *August. I. 1. de gratia Christi contra Pelagium & Celestium c. 3. Gratiam Dei & adiutorium, quo adjuvamus ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio (Pelagius) aut in lege atq; doctrina, ut videl. cum adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur, non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, ut id, quod faciendum esse cognoverit, faciat. Et c. 6. Non vult aliud accipi, quam legem atq; doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur.*

2. Verum *dist. inter naturam perfectam & imperfectam*; si primus homo semper in *statu perfectionis* permansisset, ex *lege naturæ* felicitatem omnem habuisset, nihil autem *restitutionis* à natura corrupta præstolari potuisset, utpote quæ prorsus locum nullum habuisset. jam autem, quod corruptum est; illud nec sibi sufficit, multò minus amissa restituere novit. *Dist. inter obligationem legalem, & restitutionem* ad observationem spirituales; *lex* equidem obligat homines etiam corruptos ad facienda bona opera, sed neutiqvam vires deperditas restituere potest ad observationem spirituales. *Dist. inter nosse & posse*; doctrina quidem dat *nosse*, sed amissum *posse* minime restituere valet.

THESIS VII.

1. Neq; *restitutio corruptæ humanæ naturæ* facta per generalia vel etiam specialia præcepta quædam & promissa.

2. Præ-

GENERIS HUMANI

2. *Præcepta DEi generalia*, sicut cuilibet apparet, *specialia* comprehendunt, adeoq; se statim à primis mundi seculis, omnibus temporibus, ad omnia moralia generaliter extendunt: & certum est, quod facultas implendi legem etiam per lapsum amissa sit, non igitur per *legis præcepta restitutio* fieri potuit, cum primis quia rigorese lex observationem sui perpetuo requirit, sed vires integras & perfectas non concedit, multò minus amissas restituit. *Promissa* quoq; vel *legalia* sunt, vel *Evangelica*; illa non post, sed ante lapsum felicitatem offerebant; hæc autem post lapsum non nisi per Christum contingebant.

Antithesis.

1. Errant hic *Sociniani* cum *Arminianis*, qui diversas religiones *Adami*, *Abrahami*, *Christi*, fingunt, & unicuilibet distincta *præcepta*, vel *promissa* tribuunt, uti legere licet apud *Volkel. l. 2. de V. R. c. 3. seqq. Episcopium*, & alios.

2. Verum *dist.* inter *promissum ipsum*, & *promissorum modum*; licet *promissa DEi suo modo* distinguantur per varias *circumstantias*, & *proprietates peculiare*s, cum non unius, sed multiplicis generis sit divinarum revelationum œconomia *Heb. I. I.* tamen *in re ipsa*, seu *fundamento*, *promissiones substantialiter*, vel *realiter*, convenire dicuntur. *Dist.* inter *præceptorum rationem communem*, & *applicationem peculiarem*; *præcepta* quoad *rationem communem* ad omnium temporum homines referuntur, sed quoad *applicationem peculiarem* certo modo distinguuntur.

THESIS. IIX.

1. Multo minus *Restitutio hominis per legem Mosis* fieri potuit.

2. Nam per *legem Mosis* non fit *peccatoris & DEi reconciliatio*, sed potius *magis atq; magis augetur separatio*, vel *alienatio* *Esa. LIX. I.* nam *lex peccatum ostendit, urget, auget, exaggerat, accusat, propter peccatum damnat &c.* Ita pariter *lex saltem urget faciendam*, ne utiqvam autem vires ad faciendum

B

confert,

DE RESTITUTIONE.

confert, multo minus media faciendorum deperdita per singularem restitutionem affert: imò non *restitutionis remedia*, sed *destitutionis vulnera* profert, non *reparationis pharmaca*, sed *destructionis & condemnationis fulmina* &c.

Antithesis.

1. *Antithesis* est *Socinianorum*, qui, negato Christi merito, perfectam legis impletionem, & inde promanantem humanam naturam restorationem, somniant. Vid. *Socin. libell. suavor. pag. 60. seq. Smalz. contr. Franz. p. 55. 106. 427. &c.*

2. Verum dist. inter *restitutionem meritoriam & gratuitam*; illa fit per obedientiam legis perfectam, qualis est activa Christi restitutio, haec verò fit per fiduciam, aut fiducialem confidentiam, quando Christi perfectam obedientiam vera fide nobis applicamus; illa nobis simpliciter minime possibilis, sed per imputationem nobis contingit; haec verò per Dei gratiam fidelibus in verbo conceditur. Dist. inter *restitutionem per legis impletionem divinam, & humanam*; illa, quæ Mediatoris est, ad nostram restitutionem concurrat, haec, quæ nudi hominis, ad eam minime concurrere potest, multo minus homo peccator sui restitutionem per legem Moysi vel promovere, vel efficere valet.

THESIS IX.

1. Restitutio generis humani facta dicitur à Deo, tantum ex gratia, non autem ex hominis obedientia, neq; cum conditione, vel exceptione nostræ obedientiæ.

2. Quod restitutio nostra facta sit à solo Deo patet (1) ex ipsa generis humani constitutione: nam cujus est constitutio, ejus etiam est restitutio, cum non minoris, imò, juxta multos Patres, majoris sit vel sapientiæ, vel potestatis, genus humanum restituere, quam constituere: jam autem solius Dei fuit, humani generis constitutio, sicut apparet ex historia creationis *Gen. i. 26. 27.* (2) ex imaginis divine consideratione, quia per restitutionem hanc in nobis reparatur imago Dei, sicut manifestum: solus autem Deus imaginis suæ potestatem habet: & quemadmodum nulla creatura hominem ad imaginem Dei condere potuit, ita nec ulla creatura hominem

nem

GENERIS HUMANI

nem ad imaginem DEi reparare valuit. (3) ex lapsu prævaricatione, quia tantum in lapsu prævaricationis malum erat, ut nullum, nisi divinum, remedium eidem sufficeret: siquidem erat in eodem plenaria apostasia, mera invidia, totalis invidia: nulla verò creatura tantis malis medelam afferre poterat, sed Deus solus hoc præstare noverat. (4) ex restitutionis hujus applicatione, quia restitutio hæc non tantum bona retulit, in Adamo amissa, sed etiam mala, per Adamum contracta, pepulit, imò ad nostri plenariam ab istis malis liberationem bona nova contulit, quibus Adamus in statu primæ perfectionis non indiguit, nimirum Redemptoris nostri Sponsionem, veram pro nobis peccatoribus satisfactionem, nostri redemptionem, nostram cum DEo reconciliationem Rom. V. 10. Gal. IV. 5. remissionem peccatorum, veram pœnitentiam, ac plenam in Mediatorem fidem Coloss. I. 12. Act. V. 31. I. Tim. I. 14. hæc autem omnia DEi solius esse dicuntur. (5) ex hominis conditione, quia homo penitus est corruptus, ita ut prorsus nihil ad sui restitutionem conferre valeat, imò dicitur in peccatis mortuus: mortuus autem ad actiones neququam est aptus, nec ad vita suæ restitutionem quicquam cooperari potest.

3. Si proinde nostra restitutio dicitur à solo DEo suam originem habere, non certe vel ex nostris conditionibus, vel ex nostris operationibus dependet: nec etiam per se, vel in se, conditiones ex parte nostri requirit, sed conditiones divinas ex parte DEi saltem admittit: multo minus obediencie humane conditio specialiter hic exigitur, cum certum sit, (1) quod hæc obediencia non sit DEi, sed hominis; (2) quod hæc obediencia sit legalis, non Evangelica; (3) quod hæc obediencia collatam restitutionem sequatur, non autem ut conditio quædam vel antecedatur, vel ipsam restitutionem ingrediatur; (4) quod obediencia sit fructus, vel effectus, non habeat se per modum proprietas; (5) quod obediencia sit extrinseca, ratione primæ, vel divinæ restitutionis, non autem intrinseca, non essentialis, sed eventualis,

Antithesis.

1. Errant hic tum Sociniani, tum Arminiani, tum Novatores,

B 2

tum

DE RESTITUTIONE

tum alij, qui pactum mere Evangelicum in pactum mixtum transformant, & obedientie nostrae conditionem, tanquam pacti requisitum, venditant. Quod Socinianos concernit, res certa. Sic scribit Volckel. l. 5. de Vera Relig. cap. 1. p. .361. Deus sibi OBEDIENTIBUS sempiternam beatitatem sanctissimo fadere pactus est. Verum hoc divinum fadus tunc demum ratum firmumq; futurum est, si in officio ad finem usq; permanserimus. Hoc enim illud est, quod divinisissimus Autor hunc in modum loquitur Heb. 3. 14. Participes Christi effecti sumus, i. e. immortalitatis per Christum patefactae exploratissimam spem habemus, si initium substantiae usq; ad finem firmiter retineamus, i. e. si in ea fide, quam ab initio complexi fuimus, usq; ad extremum vitae spiritum constanter permanemus. Huic simile illis Christi verbis continetur: Qui ad finem usq; perseveraverit, salvus erit Matt. 10. 22. Item illud: justus fide vivet, qui autem sese subtraxerit, non placebit animae meae Heb. 11. 39. ex Habac. 2. 4. Hinc illa Christi admonitio: Apoc. 2. 10. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitae. Et illa Pauli Colos. 2. 6. 7. Quemadmodum Christum Jesum Dominum accepistis, sic in ipso ambulate, radicati & superaedificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illa cum gratiarum actione. Videte, ne quis vos decipiat &c. Et illa Eiusdem Rom. 11. 22. Vide bonitatem & severitatem DEI; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Ex his, aliisque similibus sacrarum literarum testimonijs perspicuum est, FOEDUS istud CHRISTI OPERA nobiscum PACTUM, nequaquam, ut diximus, constare posse, imo EX PARTE NOSTRA irritum fore, nisi nos cum fide OBEDIENTIAQUE statum nostrum usq; ad finem tueamur. Et huc faciunt aliae Socinianorum hypotheses, cum quod in homine convertendo praerequiratur quaedam animi probitas ad conversionem, cum quod obedientia nostra sit justificationis causa, cum quod obedientia sit forma, vel essentia fidei justificantis, cum quod obedientia, vel opera bona sint ad salutem & justificationem necessaria &c: Si pariter Arminianorum hypotheses, & manifesta verba producere vel-

GENERIS HUMANI

cere vellemus, prolixius id fieri posset : nunc sufficiat unus locus ex *Apol. Armin. e. 15. p. 152. Quinimo Remonstrantes ubiq; sic statuunt, praecepta ista omnia pariter observata necessaria esse, si quis salutis per Christum particeps esse velit. At praecepta ista omnia observare non esse adeo plene, rigide, ac precise observare, ut nunquam in ullum eorum impingatur, sive per inadvertentiam, sive per aliam aliquam improvisam oequiv; imo credunt, hoc fieri posse, & si modo accedat penitentia, DELLM talem censere eodem loco, ac si praecepta omnia, prout oportet, plene ac rigide observasset. Et hac in re observatio praeceptorum Evangelica differt à legali, quod hac plena, rigida & precisa esse debeat, & si unum modo interveniat peccatum, nec remissioni, nec penitentiae locus sit; illa v. ut plena, precisa & rigida sit observatio, non requirat, dummodo adsit voluntas, nihil unquam faciendi quicquam contra ullum legis seu praeceptum, seu interdictum, in melius semper proficiendi. Idem Novatores passim inculcant. D. Georg. Calixt. tract. de pactis th. 13. Conditio ex parte hominis, per quam premijs divinitus promissis potiri detur, est obedientia; ubi plura hac de re legi possunt. Sic in *Epitom. Moral. p. 68 69. & th. 188. de pact.* Mutatus est homo per Adami culpam in deterius, sed non ideo mutata est lex divina, vel pactum legale prorsus abolitum; promulgatum autem Evangelicum, ut, qui in id per fidem in Christum recipiuntur, à legali rigore absolvantur, **DUM SECUNDUM SPIRITUM AMBULANT**, & opera carnis non perficiunt. D. Horneus in *iterat. Assert. thes. 53.* Unde discrimen pacti legalis non in eo consistit, quod lex conditionem operum habeat, Evangelium nullam habeat; utrumq; enim, sed diversimode habet: Sed quod lex exactam obedientiam, & omnibus numeris perfectam postulet, Evangelium gratiam & remissionem praestet, sed penitentibus, & novam vitam, prout in hac fragilitate fieri potest, inchoare sibi proponentibus. Quocirca etiam opera ita ad pactum legis exposcuntur, ut illa causa justitiae & salutis sint, ad Pactum autem Evangelicum, ut conditio tantum pura.*

2. Verum dist. inter pacta mere humana, & mere divina; illa conditiones humanas non respiciunt, hac conditiones humanas non

DE RESTITUTIONE.

admittunt. *Dist.* inter obedientiam fidei, & obedientiam facti, inter obedientiam Evangelij, & inter obedientiam præcepti: illa nihil aliud est, quam ipsa fides, adeoq; donum Dei, quæ dicitur (1) obedientia Christi Heb. V. 9. (2) obedientia Evangelij Act. V. 7. Rom. IX. 16. obedientia fidei Rom. I. 5. c. XVI. 26. [4] obedientia veritatis I. Pet. I. 22. &c: quæ certe nihil aliud est, juxta mentem & intentionem Spiritus Sancti, quam ipsa fides; sed hæc vitam nostram respicit. *Dist.* inter conditionem, & consecutionem; obedientia, ratione nostræ restitutionis, non conditionis à priori, sed potius consecutionis à posteriori respectum obtinet.

THESIS. X.

1. Restitutio nostra saltem in hoc seculo in nobis peccatoribus inchoatur, in altera demum vita perfecte consummabitur.

2. Nam certum est, quod actio non tam recipiatur per modum agentis, quam per habitudinem ipsius recipientis, ita Deus agens perfectum est principium nostræ restitutionis, sed homo, peccator miserimus, est subjectum imperfectissimum ipsius restitutionis; hic multiplex laborat imbecillitate & imperfectione, neq; divinæ virtutis, perfectissimæ restitutionis in hoc statu misero capax esse potest. Gloria perfecta materiam requirit perfectam. Et in hoc seculo Deus nobiscum agit per media, sed in altero seculo Deus omnia dicitur in omnibus futurus, immediate pariter omnia in omnibus operaturus I. Cor. XV. 28. Ex quo, sicut & ex aliis luculenter apparet, quod seculi præsentis restitutio sit imperfecta, futuri perfecta, illa ex parte I. Cor. XIII. 12. hæc ex asse, illa in tantum hæc in totum, &c:

Antithesis.

1. Errant autem Sociniani, Papiste, cum multis fanaticis, qui partim nostræ restitutioni perfectionem operum, imo legis perfectam impletionem tribuunt, salutem etiam perfectam in hoc seculo possidere hominem, asserere volunt.

2. Verum *dist.* inter perfectionem legalem & Evangelicam, facti & fidei, ratione nostri & Christi, &c: hæc, non illa, fidelibus compe-

GENERIS HUMANI

competit. *Dist.* inter salutis, vel aeternae felicitatis prae gustum, & plenarium gustum; non e quidem hoc in seculo plenissimum aeternae felicitatis usum percipimus, interim prae gustum illius fide sentimus.

THESIS XI.

1. *Restitutio* nostra non fit per intellectum nostrum, vel rationem humanam, aut lumen aliquod naturale.

2. Certum etenim est, quod animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus DEI; stultitia sunt ipsi talia spiritualia, & non potest talia percipere, sicut Apostolus tradit *I. Cor. II. 14.* Et aliàs manifestum, quod intellectus noster sit corruptus, cecus, in naturalibus etiam imperfectus, ad supernaturalia prorsus ineptus, vanis opinionibus, variis aberrationibus, & falsis erroribus repletus, adeoq; nullatenus ad nostri restitutionem ex se, vel per se, concurrere potest,

Antithesis.

1. *Antithesis* est *Weigelianorum*, qui fingunt lumen aliquod naturale, quod omnem salvificam cognitionem complectatur, ut haec non è libris sacris, perenda sit, sed ex ipso potius homine fluat in scripturae literas, & ex thesauro cordis interno proficiscatur, apud *Weigel. part. 2. postill. p. 184. in Guldengriff c. 1. p. 8.*

2. Verum *dist.* inter lumen fanaticum, quod à fanaticis fingitur, & proportionatum, quod rebus spiritualibus sit accommodatum, & à natura minime proficiscitur. *Dist.* inter sphaeram rerum naturalium, & inter sphaeram rerum supernaturalium; homo quidem aliquo modo lumen habet intellectus in rebus naturalibus, sed in spiritualibus, quae naturam transcendunt, prorsus est nullum. *Dist.* inter restitutionis subjectum & principium; naturale lumen intellectus ad restitutionem nostram concurrat materialiter & subjective, dum illa restitutio fit in intellectu per gratiosam illuminationem, sed minime concurrat causaliter & effective.

THESIS XII.

1. *Restitutio* nostra ne utiqvam fit per liberum arbitrium, & naturalem hominis voluntatem.

2. Nam

DE RESTITUTIONE GENERIS HUMANI.

2. Nam sicut homo totus est corruptus, sic pariter voluntas, & omne liberum arbitrium hominis est corruptum, ita quidem, ut cor hominis tantummodo sit malum ab adolescentia, & omni tempore *Genes. VI. 5. c. II. 21.* prudentia carnis inimicitia sit adversus Deum *Rom. II. 7. Conf. Psal. XIV. 2. Psal. LIII. 2. Jer. XVII. 9. &c.*

Antithesis.

1. *Antithesis* est *Papistarum*, qui passim arbitrii liberi vires, & proportionem ad spiritualia propugnant. Vid. *Bellarmin. lib. 5. de Grat. & Lib. Arbitr. c. 9. & alibi.*

2. Verum *dist.* inter liberum arbitrium in moralibus & spiritualibus. illud non est prorsus amissum, hoc penitus est extinctum. *Dist.* inter concursum passivum, & activum: arbitrium nostrum passive concurrit ad restitutionem, quia restituitur, non autem active concurrit, quasi semetipsum active restituere possit.

THESIS XIII.

1. Restitutio nostra, proinde tantummodo facta dicitur in Christo, sive consideretur *causaliter*, sive *materialiter*, sive *formaliter*, sive *finaliter*, vel quibuscumque respectibus aliis.

2. Notum enim est, quod Christus sit *autor & causa* nostrae restitutionis, quia noster est *Redemptor: materia* restitutionis, nim. quantum ad *objectum*, *beneficia* tum *privativa*, tum *positiva* pendunt à Christo: *formaliter* per veram *satisfactionem*, ejusque *gratiosam applicationem* nos restituit: *finaliter* ita restituimur, ut toti simus Christi *peculium*.

Antithesis.

1. *Antithesis* est *Socinianorum, Calvinianorum, Papistarum* nonnullorum, & aliorum, qui partim Christi *satisfactionem* negant, partim etiam extra Christum *salutem & restitutionem* hominibus contingere fingunt.

2. Verum *dist.* inter *sensum exclusivum, & inclusivum*: Christus est *Doctor*, sed etiam *sacerdos sacrificium &c.* *Dist.* inter *restitutionem vanam & veram*, illa fingitur extra Christum, haec non nisi per Christum conceditur.

S. D. G.

05 A 586

ULB Halle 3
003 762 211




1017

1/20







2. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
RESTITUTIONE
GENERIS HUMANI,

QVAM
In Celeberrimâ Electorali Academia

Wittebergensi
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Magnifici, maximè Reverendi, Amplissimi atq;
Excellentissimi

DN. JOHANNIS Deutschmann/
S.S. Theologiæ Doctoris de Ecclesia Christi meritissimi,
Ejusdem Facultatis Professoris Publici celeberrimi, atq; Alumnorum
Electoralium
Ephori gravissimi.

PATRONI atq; HOSPITIS cum observantia
Suspiciendi,
E cathedrâ Lutheri
publicè ventilandam exhibet

M. JOH. DANIEL ARTOPOEUS TRARBACO MO-
SELLANUS EX SPONHEIMIA.

D. IX. FEBRUAR. A. Æ. C. c^o l^o c LXXV.

WITTEBERGÆ
TYPIS JOHANN. BORCHARDI ACAD. TYPOGR.